

eamdem responsionem Pelagianorum, et multis probat peccata non commissa a Deo non puniri, et sic probat præscientiam exinaniri si quod præscitur non erit, scilicet secundum vim, et rationem præscientiæ absolutæ qualis requiritur ad puniendum et iudicandum, talis enim præscientia debet esse de rebus de facto futuris, aut rationem futuri habentibus, scilicet quod sint punibilia. Si autem de facto futura non sunt, exinanitur talis præscientia ad puniendum et iudicandum requisita, quæ solum futura respicit, quæ vere erunt, seu quæ punibilia sunt, non quæ nunquam erunt. Dices: Augustinus probat Deum non punire peccata non commissa, sed quæ sub conditione futura erunt, quia si præscitur id quod non erit, præscientia exinanitur; si ergo loqueretur de præscientia iudicativa seu punitiva, et non absolute, peteret principium, et probaret idem per idem. Respondetur Augustinum non loqui in illo antecedenti nisi de præscientia absoluta seu quæ est futurorum absolutorum, quæ utique exinanitur, si quod præscitur non erit. Nos autem reddimus rationem cur loquatur de præscientia absoluta, scilicet quia loquitur de præscientia requisita ad puniendum, quasi sic probet Augustinus si illa peccata sunt punibilia, ergo respici debent a præscientia punitiva seu ad puniendum requisita, hæc autem debet esse præscientia absoluta, quia absolute, et de facto punit, exinanitur autem hæc si id quod præscitur non erit. Ad locum Prosperii eodem modo dicimus, quod illa conditionata fingebantur futura a Semipelagianis, quia fingebantur ut sufficientia ad punitionem, quod revera non erat, et sic novo absurditatis genere futura, quæ non sunt futura confingunt, quia eadem illis attribuunt, quæ absolutis futuris, scilicet

quod punibilia sint, cum tamen vere talia futura non sint. Quod vero cognoscantur non ut futura simpliciter, sed sub illa conditione, Augustinus non negat, ut ex aliis locis patuit.

XXXII. Secundo arguitur, quia decreta illa conditionata sunt imperfecta etiam si ex parte Dei ponantur ut absoluta, dummodo ex parte objecti solum sint conditionata, ergo non sunt ponenda in Deo. Antecedens probatur, quia imperfectio eorum constat, tum quia carent executione, tum quia circa infinitas rerum combinationes vagantur sine ullo determinato fine. Quod enim careant executione constat, cum maneat suspensa executio, conditione non purificata. Quod vero hoc sit imperfectio patet, quia executio est ultimum complementum, et perfectio iudicii practici et gubernativi, ordinatur enim practicum iudicium ad executionem, sicut speculativum ad solam veritatem, illud ante decretum conditionatum non respicit meram speculationem, et possibilitatem objecti, sic enim libero decreto non indigeret, ergo est practicum, et tamen deficit ab executione, ergo intra limites practici decreti est imperfectum et deficiens, et consequenter non est in Deo formaliter, sed ad summum virtualiter, et hoc modo etiam erit scientia de conditionatis, quæ dictum decretum sequitur. Quod vero versentur circa infinitas combinationes patet, quia non est major ratio, cur Deus habeat decretum circa ea quæ non erunt de facto, sed possible manent, et nobis revelavit, quam de aliis multis quæ non revelat, nec ordinem dicunt ad hoc universum, et ad hunc statum rerum qui nunc est, sed etiam de reliquis omnibus possibilitibus potest Deus velle scire quid accideret in tali, vel tali ordine rerum, et consequenter habebit decretum

de talibus futuris, et sic infinitum. Hoc autem conveniens est, quia ideo negat S. Thomas supra quæstione VII, art. IV non posse fieri infinitum numero a Deo, quia infinitum non potest cadere sub certa intentione agentis, ergo neque decreta de illis infinitis combinationibus possunt cadere sub certa intentione decernentis, ergo talia decreta infinita ponere inconveniens est.

Confirmatur, quia talia ideo ponuntur ut prius sciat Deus quid factura sit nostra voluntas quam decernat de facto quid faciat, v.g. ut prius sciat quod Tyrii, visis miraculis Christi convertentur, quam decernat unde de facto convertantur, sed ut Deus decernat et velit de facto quod convertantur superflue indiget scire quod sub tali, vel tali conditione positi convertentur, quia efficacia divinæ gratiæ de facto aliquid operans non indiget, nec expectat aliquid ex parte nostri ut operetur, sed ex se habet efficaciam ad efficiendum de facto. Frustra ergo decreta illa conditionata habet cum ab his minime dependeat quidquid de facto operatur. Quod si dicatur Deum decernere sub conditione dare suum auxilium efficax si ponatur illa conditio videndi miracula, et non aliter, tunc erit dependentia ex parte efficaciam auxilii ab illa conditione, quia solum dependenter ab illa operabitur, quod est dicere Deum expectare aliquid extra se saltem ut conditionem, ut ejus auxilium efficax detur.

XXXIII. Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur non esse imperfectum decretum quod caret executione ultima ipsius eventus seu effectus, dummodo non careat aliqua ordinatione inferiorum causarum ad talem effectum, et determinatione divina concurrenti posita tali conditione, ut veritas illa determinata et certa sit. Cum vero dicitur quod carere, seu

deficere ab executione est imperfectio intra limites practici iudicii et decreti, respondetur quod deficere ab executione ex aliqua impotentia sive executiva, sive directiva est imperfectio, suspendere autem executionem non ex defectu potentiam exequentis, vel dirigentis, sed ex aliquo speciali, vel superiori fine non est imperfectio iudicii practici, imo perfectio regiminis hoc petit, ut aliqua quandoque suspendantur ab executione propter aliquem particularem finem, quæ tamen sub conditione aliqua erant decretata fieri, et infallibiliter fierent, sicut fuit decretum quod si Adam non peccaret, filii qui nascerentur haberent iustitiam originalem, et tamen hoc caret executione, et est decretum quod quicumque moriatur in peccato mortali damnetur, et si D. Petrus moreretur in sua negatione damneretur, et tamen id non fuit executioni mandatum. Et in universum ea, quæ pertinent ad solum voluntatem Dei antecedentem sunt volita inefficaciter et conditionate quoad eventum nec tamen est neganda ista voluntas in Deo, ut non negat D. Thomas, habet enim saltem aliquem effectum, id est, ordinare causas ad talem effectum, licet non velit productionem eorum de facto. Quare negamus quod executio alicujus eventus absolute et nude sumpta sit semper de perfectione iudicii practici et gubernativi, sed ut commensurata fini principali gubernantis, omnibus circumstantiis et causis attentis. Aliquando enim convenit ut aliqua decernantur, et determinentur stante aliquo statu, et secundum generales condiciones, quæ attento alio statu, vel circumstantiis, et fine principali non convenit fieri; de quo videri potest D. Thomas I p. q. XXIX, art. VI et VII, et q. XXIII de veritate, art. II, ubi agit de voluntate Dei antecedente et consequente, et



tamen voluntatem Dei antecedentem pertinere ad voluntatem beneplaciti, quæ proprie est in Deo docet ibi articulo tertio.

XXXIV. Ad secundam probationem de infinitis combinationibus et decretis, dicendum est, nobis solum constare de illis quæ divina Scriptura revelante didicimus, et illa finita sunt. De aliis conjecturare possumus quod saltem habuerit decreta de illis, quæ ad providentiam hujus universi aliquo modo possent conducere, et cum his aliquam connexionem, vel ordinem habere, licet revelata nobis non sint in particulari sed solum in communi, prout scimus providentiam Dei esse perfectissimam, et sic illa omnia prospicere et decernere debet, quæ quoquo modo conducunt ad ejus perfectionem vel connexionem, et ordinem habent cum his quæ provisa sunt. De reliquis autem quæ pertinent ad pure possibilia, nec omnino habent ordinem cum his quæ ad hoc universum spectant, et providentiam Dei, prorsus nobis non constat an Deus habuerit decretum circa conditionatam eorum futuritionem, an non. Nec enim est eadem ratio de istis et de illis. Nam de illis quæ omnino voluit sub mera possibilitate remanere, nec ullum ordinem ad hæc futura, quæ de facto sunt habent, non apparet ratio cur voluerit Deus de illis decernere aliquid, nisi tantum per modum negationis, quia nihil de illis voluit determinare, sed sub sola possibilitate concludere, utramque contingentiam partem æstimans possibilem. Et ita S. Thomas 1 par. quæst. XIX, art. VI ad II dicit: « Quod licet intellectus cognoscat omne verum, non tamen vult omne bonum. » Et in I, dist. XLVII, quæst. I, art. I ad IV, inquit: « Quod in potestate Dei multa sunt quæ modo nec volita sunt, nec bona; » ergo circa multa

non habuit Deus decreta, ita quod illa reliquerit volita etiam sub conditione. At vero supposito quod determinavit aliqua de facto facere quæ scilicet pertinent ad hoc universum, et voluit similiter ista habere aliquem ordinem, vel connexionem cum multis, quæ acciderent tali, vel tali conditione posita, pertinuit ad Dei providentiam, ut etiam de illis decerneret et provideret quantum ad duo, scilicet et quod non essent de facto, et quod tali conditione posita essent; quia ad id inclinabantur illæ causæ. Illud tamen certum est, quod si Deus certo voluit scire determinatam futuritionem eorum, quæ ad alios ordines rerum pertinebant, decuit de illis decernere. Nec tunc sequitur illud inconveniens quod infinita non possunt cadere sub certa intentione agentis, quia licet non possint cadere sub certa intentione operandi illa simul, et per modum unius, tamen simul, et unico intuitu sciendi, eo quod scientia trahit res ad intellectum modo intentionali, et intelligibili, quæ plura per modum unius potest unico intuitu videre, et consequenter infinita, quia utitur intellectus divinus specie conueniente illa infinita, scilicet essentia sua, et lumine infinito, et sic videt omnia possibilia unico intuitu, et infinitas cogitationes in tota æternitate futuras. At vero operari infinita ad extra non est facere illa ut contenta in aliquo alio, sed in se ipsis, et sic vel fierent successive, et hoc non, quia infinitum est imtransibile per numerationem et successionem finitorum. Vel fierent simul, et tunc infinitas multitudinis cum careat fine in se, ad nihil determinatum potest servire, et sic neque sub certa intentione seu fine ad extra cadere, quod est non dari in Deo decretum productivum infinitæ multitudinis, quia non potest ad

certum et determinatum finem reduci extra Deum. Potest tamen dari decretum non ut fiant simul, sed circa unumquodque divisum quia finitum est, decernendo quid fieret, quæ temen omnia simul ex parte Dei in ratione cognoscendi attinguntur.

XXXV. Ad confirmationem respondetur ista decreta conditionata ex parte objecti non ad hoc ponuntur, ut ex illis aliquam efficaciam sumat gratia, quæ per absoluta decreta datur a Deo de facto, sed ut veritates aliquæ in ratione futuritionis accipiant determinationem pro statu conditionato, ille enim status non considerat rem sub pura ratione possibilitatis, sed ut ordinatam ad futuritionem, et si talis conditio ponatur ut de facto futuram. Et rursus adhuc sub illa conditione non habent semper determinationem certam et infallibilem ex vi solius conditionis, quia contingens et indifferens est, nec ex solis causis creatis, quia fallibiles sunt. Recurrendum ergo est ad determinationem divinam, ut certa et infallibilis veritas istis conditionatis conveniat. Non convenit autem manere Deum sine infallibili, et determinata cognitione istorum, tum quia sæpius ea oportet revelari, ut ex locis Scripturæ videmus, tum quia ad perfectam providentiam pertinet non solum ea scire quæ de facto evenient, sed multa explorare quæ cum his connexionem habent et acciderent si aliqua conditio poneretur. Esset autem inconveniens Deum ista explicare sine certitudine, et determinata veritate cum possit illam habere per suum decretum, et conveniat sic habere, quia etiam de illa loquitur et revelat, et non sine certitudine.

XXXVI. Tertio, arguitur ex Vasquez hic disp. LXVII, cap. IV, quia decretum divinum liberum solum

addit supra essentiam sumptam secundum se respectum rationis non fundatum in ipsa divina essentia, ergo in effectu seu objecto voluto. Major est certa, et probanda a nobis infra circa quæstionem XIX, quia alias posset aliquid reale abesse a Deo, cum liberum decretum possit non esse. Minor vero probatur, nam fundamentum illius respectus rationis non potest esse ipsa entitas divina, qua secundum se est immutabilis, ergo effectus inde secutus, et sic ex eo quod res aliqua futura est, judicatur Deo convenire illud decretum, ergo ubi futuritio non sequitur sicut in conditionatis, non remanet fundamentum ponendi illum respectum rationis. Sed quia responderi potest quod relatio rationis non est necesse, quod exigit realem mutationem in termino vel fundamento, sed potest convenire solum ex hoc quod relative concipitur hoc ad illud, licet nihil reale in eo quod est terminus talis relationis ponatur a Deo, quia relatio rationis non exigit terminum realem. Contra instatur, quia vel ista relatio rationis durat, seu convenit in æternum Deo, vel solum usque ad tempus, quo conditio esset implenda. Si primum, ergo Deus prædefinit ut talis effectus fiat, non solum si ponatur talis conditio tali tempore, sed etiam post illud, quod est absurdum. Si secundum, ergo oportet quod in aliquo extremorum fiat aliqua mutatio, ut illa relatio non conveniat, nam extremis eodem modo permanentibus, semper conveniret, sed non fit mutatio in creatura, quia effectus ille est conditionatus, et non in se mutatus, ergo in Deo.

XXXVII. Confirmatur, quia ideo scientia horum conditionatorum ponitur in Deo, quia pertinet ad maximam ejus perfectionem, nec solum addit supra scientiam possibilium denominationem extrinsecam, quæ



potest abesse a scientia Dei, sicut scientia visionis, quæ addit ex parte terminationis objecti præsentiam ejus in re; at vero in futuris conditionatis non datur sola denominatio extrinseca ex parte terminationis objecti, quam superaddat ad scientiam simplicis intelligentiæ, cum re vera neque futura sint, neque existentiam, aut mutationem aliquam in se habeant, ergo cognitio eorum non competit Deo nisi ratione perfectionis in sciendo, non vero solum ratione additionis alicujus denominationis extrinsecæ, sicut ratio intuitionis et visionis. Ergo non potest fundari in libero decreto Dei sicut scientia visionis, sed antecederet ad illud competere, liberum enim decretum posset non haberi a Deo, vel haberi oppositum, et sic deesset Deo perfectio aliqua scientiæ intrinseca. Ut omittam quod de his decretis liberis, deberet nobis constare ex aliqua revelatione quod in Deo sint, de quo nobis nihil constat, præsertim circa infinitas combinationes, et conditionales ad hoc universum non pertinentes, circa quas superflue ponuntur hæc decreta, cum ad nullum finem conducant. Eadem autem ratio est ponenda aliqua circa aliquas conditionales, ac ponendi circa omnia.

XXXVIII. Respondetur illud argumentum Vasquez nihil omnino probare, ut etiam advertit Suarez, libro II de scientia conditionatorum, cap. VII, num. X. Nec enim necesse est, ut Deus aliquid velit, quod ponat in objecto aliquam mutationem, aut realitatem, potest enim velle aliquem obligare velle, aut quamlibet aliam institutionem ad placitum seu denominationem moralem velle sine aliqua mutatione intrinseca objecti. Et revera nulla repugnantia invenitur a theologis, quod Deus poterit habere hoc decretum Si: Adam non peccaret, Verbum fieret homo

non in carne passibili, licet de facto id non vellet exequi, nec aliquam mutationem in objecto poneret. Itaque negamus quod relatio rationis quæ invenitur in actu libero Dei, fundetur in ipsa objecti mutatione, alias ab æterno non conveniret Deo, sed haberet se sicut relatio rationis qua Deus denominatur Dominus, vel creator relative et formaliter, quæ solum fundatur in mutatione creaturæ, quæ temporaliter fit: sunt tamen aliæ relationes rationis, quæ ab æterno denominant Deum, nec fundantur in mutatione creaturæ, sicut illæ quæ comitantur actus immanentes Dei ut immanentes sunt, sicut respectus cogniti et amati, et respectus ideales, ut docet S. Thomas, I par. quæst. XIII, art. VII ad III, et quæst. XIV, art. XV ad I. Ubi reddit rationem hujus, quia creaturæ ut cognitæ sunt in Deo, et ibi sunt invariabiliter. Relatio ergo ad ipsas ut cognitæ seu decretatas (decretum enim ad cognitionem spectat) potest inveniri sine aliqua mutatione rei, sed in ipsis rebus prout cognitis tantum. Et sic in entitate ipsa actus divini, quatenus eminentia sua complectitur rationem liberi et necessarii potest fundari ille respectus rationis ad rem, et si non de facto futuram in se, ut tamen de facto decretatam ut sub conditione esse.

XXXIX. Ad replicam dicitur, quod illa relatio decreti conditionati convenit Deo quamdiu convenit decretum ipsum, scilicet per totam æternitatem, licet connotet conditionem futuri, vel præteriti conditionati in ordine ad diversa tempora, sicut enim Deus eodem decreto æterno, et invariabili vult eandem rem, v. g. nativitatem Christi pro uno tempore esse futuram, et pro alio præsentem, ita vult conditionatum effectum, v. g. traditionem David si maneret in Ceila esse futuram conditionate pro aliquo tempore, ut

cum David consulebat Dominum, esse autem præteritam sub conditione nunc, quia nunc non est verum dicere quod tradent, sed quod tradissent Ceilitæ si mansisset David. Relatio ergo rationis in decreto, semper ei conveniet, sed non respicit illud decretum res ipsas semper eodem modo, sed cum conditio ponenda sumitur pro tempore futuro, sunt futuræ sub conditione, cum est præterita, redduntur conditionata præterita.

XL. Ad confirmationem respondetur quod scientia ista conditionatorum contingentium simpliciter est libera, ut pote fundata in decreto libero Dei, pro ea parte præcise qua respicit futuritionem conditionatam ut determinate veram, posset enim etiam oppositum determinari adhuc stante illa conditione, ut de se patet, nam manente David in Ceila, posset non sequi traditio. Et quoad hoc non attenditur in illa scientia id solum quod scientiæ est, et simplicis intelligentiæ, sed aliquid extra genus scientiæ, quod pertinet ad aliquam extrinsecam denominationem ejus, non quidem pertinens ad intuitionem, quæ supra rationem scientiæ addit præsentiam physicam rei, sed pertinens ad approbationem, vel permissionem voluntatis, quæ etiam extra genus simplicis scientiæ est, ut docet S. Thomas quæst. III de verit. art. III ad VIII, ubi inquit: « Quod scientia dicitur simplex solum quia excludit admixtionem ejus quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vel ordo voluntatis ad res scitas producendus, quem addit scientia approbationis. » Talis ergo ordo quia est extra genus scientiæ variari potest, et deesse sine intrinseca variatione scientiæ, et talis est ordo scientiæ de futuritione conditionata, dicit enim aliquid extra genus notitiæ, scilicet approbatio-

nem voluntatis seu determinationem ad res producendas, non absolute, sed sub tali conditione, et hac ratione etiam addit existentiam, sed tamen non pervenit ad hoc quod existentia illa sit visa intuitive, quia de facto non est præsens, sed esset; visus autem solum fertur in præsens, non in id quod de facto impeditur esse præsens, sed sub conditione esset. Manet tamen de facto pendens a voluntate, et libero decreto, a quo habet determinatam veritatem suæ futuritionis in statu conditionato. Et hanc denominationem determinatæ futuritionis conditionatæ, quoad unam partem addit supra scientiam simplicis intelligentiæ, et sic manet de facto libera, licet abstractiva, et non intuitiva, ut postea dicemus articulo quarto. Ad id quod dicitur, unde nobis constat hæc decreta dari, respondetur de aliquibus colligi ex Scriptura, ubi cum eorum prædictio certa reveletur, ex consequenti voluntas etiam Dei circa illa revelatur, quæ loca supra adduximus. Nec tamen similiter revelata sunt alia decreta circa alias combinationes infinitas rerum pure possibilium, et ideo de illis non constat nobis. Nec est eadem ratio de illis, et de istis, ut jam supra ostendimus, quia non pertinent ad providentiam actualem Dei illa quæ nullam connexionem, vel illationem habent cum rebus istius universi, sicut habent multa alia, quæ ex istis deducuntur, vel connexionem habent cum illis.

XLI. Ex secundo capite quod supra proposuimus potest argui contra ista decreta, probando illa non dari, ita ut sine illis non possit manere in Deo scientia media de futuris conditionatis. Sed quia hic est cardo totius hujus difficultatis, quæ his temporibus agitur, commodius post impugnatam scientiam mediam de illis discernemus.